



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

4. Columnæ Historicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

iterum, iterumq; repeto, Nemo hominū salvabitur nisi
 STYLITA. I nunc, & Simeonem Stylitam obstupescere, ac
 inimitabilem judica. Non muto sententiam: Nemo sal-
 vabitur, nisi sit Stylita. Explico & probō. *Columna* ædifi-
 cii spiritualis, è quò migrandum ad Superos, est *Fortitu-
 do, Constantia, Perseverantia*: in hac nisi zeam tuam locave-
 ris, nisi cellulam tuam constitueris, nisi ex hac moriens
 emigraveris, nunquam, ita me DEUS amet, & omnes
 Superi, beatitudinem consequeris. Nullus hæctenus nisi
 ex Columnâ nominata cælum petit. Itaque præter
 Stylitas nemò saluus fuit. *Qui perseveraverit usque in finem
 hic saluus erit. Matthæi x.*

ARTICULUS V.

COLVMNÆ STEM MATUM.

BINAS illas Columnas Domus Sapientiæ, Fortitudi-
 nem & Perseverantiam diligentius inspicienti oc-
 currunt animo, Columnæ, quæ solenterigi, ut in iis fa-
 miliarum, vel Reipublicæ Stemmata appendantur, vel
 collocentur. Qui Venetias vel è longinquo salutarunt,
 ignorare non possunt, in capite fori, quod littus maris
 spectat erectas è solido marmore Phrygio duas Colum-
 nas altissimas, è mari venientibus nautis à longè conspi-
 cuas, in quarum una D. Marci Venetorum, nempe, Leo-
 nis alati Insignia inaurata visuntur: in altera D. Theo-
 dori statua similiter inaurata posita est. In ipso autem
 intercolumnio de noxiis condemnatis sumuntur sup-
 plicia. Ferunt allatas simul tres ejusdem magnitudinis
 navibus onerariis è Græcia, ante annos amplius, quàm
 quadringentos, earumque unam vi ponderis, dum è
 navi.

navibus extraherentur in terram, ruptis architectorum instrumentis, in aquas decidisse, & in fundo adhuc conspicui: alias duas ad caput fori Marciani modico intervallo erectus, ingenio Longobardi cujusdam Architecti, validis rudentibus novis è sublimi demissis, & aqua made factis: qui dum sese cōtraherent, & pondus vi suâ sublevarent, alios siccos breviori semper spacio subiectos, & aquis item irrigatos fuisse, eoque modo paucis diebus opus continuando, moles illas extractas firmatasque. Addunt, non aliud Architectum industriæ præmium postulasse à Repub. quàm ut aleatoribus in eo intercolumnio ludendi impunè libertas semper esset. An verum sit ignoro: hoc constat, scholam nebulonum aleatoriam sub iis Columnis assiduam & frequentem videri. Hæc *παρεργῶς* hoc ego dicere volebam.

QUEM AD MODUM in iis, similibusque Columnis insignia visuntur gentis, aut Reipublicæ, ita totius Religionis Christianæ, in Columnis Fortitudinis & Perseverantiæ esse conspicua. Quæ sunt Insignia? quæ stemmata? quæ tesserae gentilitiæ Reipublicæ Christianæ: familiarum & urbium sumi solent à præclaris majoribus ac fundatorum suorum facinoribus, in quibus & fortitudo maximè enituit; ita Ecclesia ab Heroum suorum generosis conflictibus, & Fortitudinis masculæ elegantiæ quæ ostentaret: nimirum, *Crucem, Gladium, Ignem, Castrostram, Furcam, Laqueum.* & similia sexcenta, quæ artificiosissimè in Columna utraque, Fortitudinis & Perseverantiæ expressa sunt, & vim ad excitandum æmulandi affectum inspectantibus habent. Quæ dum perpendunt offert se mihi alius Columnarum usus, qui duobus illis nostris est valdè conveniens.

(***)

ARTI-